



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 74. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

suorum, & Superiorum nostrorum accipere sua  
beneficia: ut sic humilem obedientiam exerce-  
mus REFL. Examinemus obedientiam nostram jux-  
ta Regulas; & an Superiores Christi loco habe-  
mus.

VOL. Exerceamus nos in tertio gradus humili-  
tatis, ejusque affectus identidem excitemus; sic  
sponte sua succedet perfecta obedientia. Nam  
*nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mi-  
tibus.* S. Leo in Epist. S. P. Nostri de obed.

COLLOQ. Ut ad tres modos humilitatis:  
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO. LXXIV.

*De quinque milium hominum refectione.*

Matth. 14.

Myſt. punct. 3.

CONG. More solito.

PRAEL. I. Quomodo comedent, & saturati  
fuerint, & superaverint cophini duodecim.

PRAEL. II. Intueri locum, in quo turbæ ordina-  
tè discumbebant.

PRAEL. III. Petere gratiam, Christum cum ma-  
gnâ spe, & fiduciâ sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Speculemur con-  
vivium illud, in quo turbæ sedebant secun-  
dum contubernia *super viride fenum.* Marc. 6.  
& Jesus cum suis Discipulis ministrabat.

INTEL. Fuit illud quasi figura cœlestis illius con-  
vivii,

vivii, in quo, qui Christum fuerint in mortali, & brevi vitâ benè secuti, faciet illos discubere, & transiens ministrabit illis. Luc. 12. REFL. Hoc nobis erit prœmium pauperis ac humilis modi vivendi, in cibo, & potu.

VOL. juxta ea, quæ in Contempl. *Regni Christi* meditati sumus, statuamus non alio uti viâ, quàm quo Christum Regem nostrum utentem conspexerimus.

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Circumeamus & audiamus turbas illas loquentes.

INTEL. Audiemus aliquos dicentes, quod de manna dixerant Filii Israël: *Manhu? quod significat, quid est hoc?* Exod. 16. Item illud ibidem: *iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Alii dicere poterant: *dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Ps. 112. REFL. Cogitemus, quod nobis, qui vovimus paupertatem, Christus quoque per discipulos, hoc est superiores, viatum distribuat, & similiter ipsum laudare debeamus per Benedictionem & gratiarum actionem.

VOL. Deinceps cum singulari affectu laudis & gratiarum actionis, antè & post refectionem recitemus ordinarias preces, & interdum mente inter vescendum.

**P**UNCTUM. III. OPERA. MEM. *Manducaverunt omnes & saturatis sunt. Et iulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Matt. 14.

INTEL. Perpendamus abundantiam suavitatis & P 2 satu-

saturitatis, ac liberalitatis, quā Christus illos pa-  
scit, qui omnibus relictis ipsum toto corde sequun-  
tur. REFL. Concludamus, quod tantō major quoq;  
abundantia liberalitatis sit futura erga nos: quan-  
tō melius servavimus obedientiam & paupertati-  
tem in cibo & potu.

VOL. Abhorreamus ab omni cibo & potu, qui  
per manus obedientiæ non datur, sanè illi illam  
saturitatem non sentient. Sed semper memineri-  
mus, quod *edent pauperes & saturabuntur.*  
PL. 21.

COLLOQ. Conformatio Meditationi *Regni Chri-  
sti, & de duobus vexillis.* RECOLLECTIO.

## MEDITATIO LXXV.

*De transfiguratione Christi.* Matth. 17.

Myst. punct. I.

CONG. Desiderium magis & magis cognoscendi  
verbum incarnatum.

PRÆL. I. Quomodo coram tribus Discipulis  
transfiguratus fuerit Christus.

PRÆL. II. Repræsentare sibi montem, in quo  
transfiguratio est facta.

PRÆL. III. Petere gratiam, sic laborandi cum  
Christo, ut promissi prœmii, participes fiamus.

PUNCTUM, I. PERSONÆ. MEM. Christus ducit il-  
los in montem excelsum seorsum. Matth 17.  
hoc est Petrum, Jacobum, & Joannem.

INTEL. In Petro considerare possumus fervorem  
fidei